



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. II. Illationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

& passivæ valore materiam comprehendere volui: siquidem iudico ad eas omnia reduci, cum iisdem rationibus, quibus duplex nostra conclusio incedit, solvantur omnia, quæ ex laxis interpretationibus, ex privilegijs, ex Cruciata derivantur, ut fuscè ostendo. Præterea ne animo cadant, qui hæcenus invalidè absoluti sunt; & ne in peius ruant, qui laxioribus novis interpretationibus aditum parent; & ut Confessor sciat quæ ejus absolutio, quantum est ex parte sui, sit aut non sit valida, remedium dedi, quo præteritis confessionibus mederi possimus, & præservativum præscripti pro futuris, certa trahendo indicia, quod Ecclesia certam tali Sacerdoti conferet jurisdictionem. Inferui his plura alia curiosa, & necessaria circa Papæ definitiones & leges, circa Papæ infallibilitatem, nulli umquam etsi Legato à latere communicabilem, circa Legatorum, Episcoporum, & Prælatorum Regularium activam, & passivam absolvendi facultatem &c. Si hæc, mi Lector, præstiti, plura scies pauca legendo; si non præstiti, dolebo.

§. II.

Illationes.

SUMMARIUM.

Nostorum principiorum utilitas, n. 182.
Omnis confessio facta cum non approbato à Diocesano loci, in quo quis absolvit, est nulla. Similiter si excedat, n. 183.
Omnis confessio eludens jurisdictionem Episcopi, aut sui Prælati est nulla, n. 184.
Regulares olim privilegijs magnis dotati, n. 185.
Plurima sustulit Tridentinum, ibid.
A Cruciata nullum jus indultum, n. 186.
Nil favet Regularibus quoad absolutionem, ibid.
Regulares peccant, si sine licentiâ sui Prælati absolvant seculares, n. 187.
Approbatio Episcopi necessaria ad validam, Prælati ad licitam secularium absolutionem, ibid.
Nulla absolutio sub opinione incertò probabili est valida, n. 188.
Omnis sub errore communi, sub non derogatâ consuetudine, sub titulo colorato, sub opinione certò probabili est valida, ibid.
Quomodo judicium reflexum de validâ absolutione sit certum, etsi directum sit de eâ tantum certò probabile? n. 189.
Nemo absolvere licetè potest, nisi sit certus de suâ jurisdictione, n. 190.
Prima ab Innoc. XI. damnata de tutiori in Sacramentorum valore sequendâ, n. 191.
Dico, quod tò tutior sit pro unice tutâ, n. 192.

Nemo ex certò tutis tenetur in Sacramentis ad tutiorem. Inductio, ibid.

Opinio negans fatendas circumstantias, non spectat ad valorem. Doctores, n. 193.

Cur peccata dubia sint de valore confessionis confitenda, non ita circumstantia pure aggravantes, ibid.

Attritio ex motivo amoris Dei, seu contrita perfectâ, etsi spectet ad valorem, non est necessaria ad confessionem, sed satis attritio supernaturalis, n. 194.

Doctores, ibid.

Cur confessio sacrilega non sit Sacramentum, si communio sacrilega? n. 195.

S. Thom. ait, quod in foro confessionis creditur homini, & pro se, & contra se, ibid.

Nulla opinio obligans ad aliquid, quod ab alio præcepto vetatur, est tuta, n. 196.

Honorius III. vetuit, ne in Calice plus aquæ, quam vini misceretur pro consecratione, ibid.

UT oculis attrêctes principiorum utilitatem; & quod longè expeditius sit tractare principia, quàm ad quaestiuiculas etiam per modum Dialogi divertere, ecce tibi plures ex jactis principijs illationes, ut tuo Marte alias colligas.

Prima est: Mordicus tenendum, omnem confessionem, quæ fit cum Confessore nò approbato à Diocesano loci in quo quis absolvit; vel si cum approbato à Diocesano, non tamen Confessor se continet intra approbationis limites, esse omnino nullam. Ex hoc principio Clemens X. descendit ad plures damnandas, ejus in Bullâ legendas.

Secunda est, omnem futuram opinionem, N. cujus interpretatio Tridentini finem, & Pontificum definitiones eludat, & proportionem servatâ Superiorum in Religiosis subjectionem exterminat, rejiciendam, & habendam ut damnabilem, & absolutiones sub dictis opinionibus futuras nullas.

Tertia est, quod licet olim Regularibus N. ex Bonif. VIII. in Extravag. Super cathedram de sepultura, & à Clem. V. in Concilio Viennensi in Clementinâ, Dudum de sepultura, concessum fuerit privilegium, ut Regulares, dummodo se præsentarent Episcopo, etsi nolenti dare licentiam, haberentur tamquam idonei, ut seculares audirent: immo Benedictus XI. hoc ita ampliaverat, ut ne Regulariter, sed satis erat, ut eorum Regularium Prælati, quomodocumque Episcopo significarent, se aliquos ex suis Religiosis designasse pro audiendis secularium confessionibus: quod tamen Benedicti privilegium deinde à Clemente V. revocatum fuit, consuetudine

mante se unice privilegio à Bonifacio VIII. concessio.) Hodie tamen certissimum ex Tridentino, & Pontificijs definitionibus est, ea omnia privilegia revocata: & necessariam ad absolutionis valorem Dioecesani loci, in quo quis absolvit, approbationem.

N. 186. Quarta est, Cruciatæ Bullam nullum novum jus, quoad sine approbatione Dioecesani validam absolutionem, induxisse; sed in omnibus jus à Tridentino, & Pontificibus stabilitum, sanctè servandum. Similiter nullum vi Cruciatæ haberi quoad Regulares privilegium, ut sine Superiorum suorum licentiâ absolvi à quolibet possint à reservatis, & omnes confessiones ratione invalidæ absolutionis fore nullas, ut à Paul. V. Clem. VIII. Urban. VIII. & alijs definitum est, nec sãlvã Catholicã fide doceri potest oppositum.

N. 187. Quinta est, quod præter Episcopi approbationem necessaria in Regularibus sit quoad seculares audiendos Prælati licentiâ; cum hoc tamen discrimine, quod approbatio Episcopi est necessaria ut absolutio data à Regulari sit valida, licentiâ verò Prælati, ut ea absolutio sit licita; de quo legi potest P. Bardi. P. Bardi tract. 5. cap. 2. n. 46. P. Mendo d. 22. P. Nog. n. 107. P. Nogueira d. 14. num. 125. Porro tam necessaria est Episcopi approbatio, ut si accideret, quod Episcopus approbaret non aptum, & reprobare aptum aptus invalidè, non aptus validè absolveret;

N. 188. Sexta est, quod nulla absolutio data sub opinione dubiè, tenuiter, probabiliter, aut incertò probabili de jurisdictione est valida, aut licita. Quod non sit valida, patet; quia valor illius est dubius, si autem ejus valor est dubius, eo ipso absolutio est illicita, eo quia sine necessitate exponit Sacramentum frustrationi: econtra omnis absolutio data sub opinione fundatâ vel in errore communi, vel in titulo putativo, vel in consuetudine, & praxi Ecclesiæ, vel in opinione certò probabili de jurisdictione, est certò valida, & licita. Constat ex dictis, eò quia præsentè quocumque ex recensitis signis Ecclesiæ certam dat Sacerdoti absolventi jurisdictionem. Non me detineo in solvendo argumento satis obvio, quomodo jurisdictio Ecclesiæ sit certa, cum jurisdictio sit tantum certò probabilis; si autem est tantum certò probabilis, etiam non jurisdictio erit probabilis. Non, inquam, me detineo, quia similia argumenta sæpius à me soluta, & ab omnibus solvenda. Dixi enim, quod ipsi judicio speculativo, aut practico incerto, supervenire potest principium certum, quod licet me non certificet de honestate, licentiâ, aut veritate materiali rei, attamen me certi-

Tom. III.

ficat de formali honestate, & licentiâ rei. Ecce non sum certus de non obligatione recitandi pensum diurnum ob capitis dolo-rem: non sum certus quod res præcepta à Superiore sit in se licita; attamen, accedente in utroque casu Superioris mandato, certus sum de licita non recitatione, & de honestate formali rei præceptæ. Non sum certus, stante errore communi, siue non, siue cum titulo colorato, quod hic homo sit Parochus; quin oppositum est in re verum: quod verò sit Sacerdos, est tantum ex suppositione erroris verum; & tamen sum certus quod absolutio data ab eo Sacerdote sit valida. Idem accidit in casu nostro. Habens certam tantum probabilitatem jurisdictionis non est directè certus de jurisdictione; est tamen reflexè certus ex principio superveniente fundato in Ecclesiæ praxi, quod Ecclesiæ certam tunc det jurisdictionem. Legge d. 20. & d. 26. per totam.

Sexta est, quod ne quis prudenter exponat Sacramentum Poenitentiae, nullitati, debet esse certus saltem reflexè de jurisdictione; sit autem ex Ecclesiæ praxi certus, quæ certam dat ex errore communi, aut titulo putativo, aut ex opinione certo probabili de jurisdictione, aut ex errore invincibili, jurisdictionem. Dixi prudenter, seu quantum est ex parte hominis, satis ut ponat materiam, & formam certò tutam seu validam, quam, si Ecclesiæ supplere potest, tunc supplet, ut accidit in jurisdictione, cujus usus pendet ab Ecclesiâ; non ita, si non potest; non enim facere potest, ut baptizatus sine aquâ, aut intentione, sit baptizatus.

Dices: In materia Sacramentorum tene- tur quis ad tutiorem de valore, ut decidit Innoc. XI. sed opinio obligans ad fatendas circumstantias; obligans ad contritionem perfectam in confessionis Sacramento; obligans ne quis absolvat quoties jurisdictio non est directè certa, est tutior suâ oppositâ negante: ergo.

Respondeo 1. me tom. 2. d. 14. per exten- sum exposuisse primam ab Innocentio XI. 192. damnatam. Dixi enim primò, quod licet, formalissimè loquendo, liceat in Sacramentis qualibet certò probabilis practicè, attamen nulla, quæ Sacramentum exponit nullitati, est certò probabilis, ut rectè P. Card. Card. tertiâ parte Cris. d. 56. cap. 17. à num. 418. & in exposit. damnatarum disp. 2. n. 10. Secundo dixi, quod Innoc. XI. vetet, licere sequi probabiliorè minus tutam; vult enim, ubi agitur de valore, sequendam tutiorem minus probabilem præ probabiliori minus tutâ, ut scitè P. Card. n. 13. qui advertit n. 41.

Trij difficile

difficile esse discernere minùs tutas de valore, præsertim in Sacramento Poenitentiae, & Matrimonio: & n. 59. ait, quòd opinio, quæ negat valorem, sit tutior, quia non exponit Sacramentum frustrationi. Tertio dixi quòd in damnatâ to *tutius* stet adverbative, ita ut sequi non possimus quæ non est certo tuta; non verò comparative, ita ut ex certò tutis materijs, teneatur ad magis tutam. Vide P. Cardenas l.c. qui ad plures casus particulares descendit. Unice ergo Innocentius obligat, & jure meritò, ne quis inter tutam & non tutam eligat non tutam; sic enim exponitur Sacramentum nullitati absque ullâ necessitate, peccando contra virtutem Religionis, & proximi salutem: non verò ut inter duas certò tutas obligat, ut tutiorem eligamus: nemo enim inter duas certò aquas naturales, tenetur potiùs uti aquâ magis defæcatâ, quàm aliquâlibet turbidâ; nemo ex duobus vinis certò utralibus tenetur ad vinum Cretense, aut Hispanicum, quàm ad minùs generosum; nemo inter duos Confessores certò approbatos, ad approbatum potiùs immediate à Papa, de cujus autoritate nemo ambigere potest, quàm ab alio Episcopo: nemo ut quis mortale ritè confessum, in omni confessione repetat. Quin percurrantur latè tractantes de valore materiæ, & formæ cujuslibet Sacramenti, patebit illico, quòd inter certò tutas sequenda non sit tutior: ex. gr. tutior est opinio asserens calicem, & patenam intectis manibus tangendam, & tamen opinio hoc negans est longè probabilior, quin certa, nempe quòd ut quis validè sit ordinatus, opus non est ut patena, & calix, & reliqua instrumenta manibus intectis tangantur, ait Neussl. d. 108. q. 16. Dian. p. 12. tr. 1. ref. 19. Tutior opinio asserens tangendum immediatè caput, non solos capillos, per manuum impositionem: & tamen opinio negans est longè probabilior, & certa, ait Card. de Lugo in suis Responsis moralibus *dub. 1. resp. 9.* de cætero si tutior de valore semper sequenda, omnia Sacramenta ob valoris defectum, esto opinio foret certò tuta, forent reiteranda.

N. Respondeo 2. cum P. D. Thyrtio in suis 193. selectis tom. 3. d. 49. sect. 3. & P. Cardenas in 1. P. Thyrt. damnatam ab Inoc. XI. *diff. 2. n. 107.* quòd P. Card. opinio obligans aut deobligans à confitendis circumstantijs purè aggravantibus non spectet ad Sacramenti valorem; quod enim ad Sacramenti valorem spectat, seu ad valorem confessionis vocalis, est ut quis confiteatur peccata, ad quæ certò obligatur: sed circumstantiæ purè aggravantes non sunt certò peccata; ergo ad eas non tenetur. Ne tamen in-

de inferatur, quòd neque faciet confessionem invalidam, qui non confitebitur peccata dubia: est enim magnum discrimen, nam, ut alias docui, ex antiquissima Ecclesiæ praxi, adeoque ex Traditione Apostolica habemus confitenda peccata negativè dubia, seu ea de quibus nullam aut levem habeo tam pro peccato, quàm non peccato rationem. At ubinam hæc Ecclesiæ praxis de tendendis circumstantijs purè aggravantibus? Ergo ea de peccatis dubijs est, hæc de fatentibus circumstantijs non est circa valorem Sacramenti.

Quod dicitur de contritione, fateor quòd N. venietur circa valorem tam opinio negans cum 194. ad confessionem necessariam, quàm affirmans. At re perpendâ, nisi hæc questio toto conatu ab aliquibus sanctitatis speciei promotâ ludat in verbis; & ejus Authores moderni, inter quos M. Natalis in Epist. Moral. *pag. mihi 50.* confundant attritionem, quæ palissim vocatur contritio imperfecta, cum perfectâ innixâ Deo, ut in se bonus est, non ut nobis bonus est, nullum prorsus ex quibuscumque coacervatis textibus solidum habet fundamentum. Si enim perfectâ contritio necessaria foret, ad quid absolutio, cum antequam proferatur, peccata vel formaliter, ut ego cum pluribus post P. Valq. docui in Tra. 2. N. 1. de Peenitentia, vel dispositivè remissa sint per gratiam, quæ sequitur ad contritionem? Ad quid hoc Sacramentum confessionis institutum, & quidem tam arduum? Ad quid conciones tum Christi D. tum Joannis Baptistæ, tum omnium Sanctorum ad populum, ut quidem terroribus, & minis urgentes? Ad quid infernus, & Cælum apertum? Sanè melioris conditionis fuissent Judæi, immò meliores forent omnes Gentiles, qui si perfectam contritionem eliciant, per eam salvari possunt; nos verò tenemur tum ad contritionem perfectam, tum ad confessionem vocalem, tum ad poenitentias à Confessore acceptandas, si salvari volumus. Quæ rectè P. Carden. *diff. 3. n. 64.* opinionem oppositam vocat improbabilem. Idem sentit Joan. Anton. de Panormo *cap. 7. art. 5. d. n. 11. ad 39.* qui solvit quiddam Henricus à S. Ignatio pro oppositâ adducit; & concludit quòd continua Ecclesiæ praxis, & doctrina Cathecismis inserta, & Concionatorum omnium sæculorum, & Theologorum sit, quòd ad confessionis valorem necessaria non sit attritio ex motivo amoris Dei, seu contritio perfecta. Omitto textus M. Natalis in *Paralipomenis Theol. Moralibus l. 6. facilis apparentie.*

Cur verò confessio sacrilega non sit S. N. Sacramentum, sit communio sacrilega? Ratio 195. patet;

patet; quia si est sacrilega; non est nisi quia ex parte poenitentis deficit vel dolor, vel propositum, vel integritas: ergo cum talis confessio sit invalida, nil mirum si non est Sacramentum. Ut enim S. Thom. in supplem. q. 8. art. 5. ad 2. ait, in foro confessionis creditur homini, & pro se, & contra se: si ergo homo ille accedat sine dolore, aut proposito, aut omisso mortali, et si ea se habere fateretur, Sacramentum non erit. At communio sacrilega est Sacramentum, quia quod male minus eam sumat, non tollit ab illa valorem, & est Sacramentum in re. Alter Joan. Anton. de Panorm. cap. 7. art. 10. n. 10.

N. Dices ineptam videri explicationem quod opinio tutior sit illa, quae obligat, quam quae deobligat; nam certum est miscendam pro Missae Sacrificio aquam; ergo qui plus aquae quam vini miscet, erit tutior de valore sacrificij; quam tamen opinionem Honorius III. cap. Perniciosas. de celebratione Missae, vocat perniciosam. At facilis solutio: nam opinio docens plus aquae miscendum quam vini, non est tutior, quin est certo falsa, quia est contra legem vetantem: sed opinio tutior illa sola est, quae asserit miscendam aquam, contra negantem: haec est tutior, non illa.

SECTIO IX.

Dubia.

S. I.

Aliqua.

SUMMARIUM.

Parochus non est ratione sui officij ubique aptus absolvere, etiam extra suum Episcopatum, n. 197. 198.

Juxta me, nisi ex tacito Episcopi consensu, potest Parochus extra suam Parochiam absolvere, n. 199.

An idem sit mortis articulus, ac periculum probabile mortis? Doctores, n. 200.

Certum, quod quilibet simplex Sacerdos potest in mortis articulo ab omni peccato, & censurâ absolvere, ex Tridentino, n. 201. 202.

An licitè possit praesente approbato? Ibid.

Valde variant Doctores, ibid.

Judico licitè posse etiam praesente approbato; non ita si Sacerdos simplex sit excommunicatus, n. 202. 203.

Tridentini textus est illimitatus, n. 203.

Absolutio illa pro censuris valet tantum pro foro interno; si enim vivat, tenetur comparere ante eum, a quo absolvi potest, n. 204.

Absolutus vi Cruciatæ non tenetur comparere, Tom. III.

nisi ut externè absolviatur à censuris, quarum absolutionem non concedit, n. 205.

Absolutio cum onere comparendi dicitur ad reincidentiam. Cur? Ibid.

Dubie reservata non sunt reservata, n. 206.

Clemens VIII. reformavit suam Bullam de dubie reservatis, ibid.

Nullum peccatum est Papae reservatum, nisi ob censuram, & qui ab hac absolvi potest, & ab illo, & e contra, ibid.

Etsi simplex Sacerdos possit absolvere venialia, & mortalia vitæ confessio, non potest tamen licitè se exponere, n. 207.

Bulla Innocentij XI. ibid.

An detur obligatio confitendi venialia, vel ex precepto confessionis annuae, vel ex regulâ, n. 208.

Hæresis Lutheri, ibid.

An veterum Sacerdotum simplicium absolvere mortibundum praesente approbato, n. 209.

Plurimi sub articulo mortis comprehendunt periculum probabile, & quidquid de uno docent, docent de alio, n. 210.

Absolutus in articulo mortis suis divellit à quocumque mortali absolutus; nec iterum repetenda, si vivat. Idem dicendum de censuris, non tamen pro foro externo, ne Judicibus praediceatur, n. 212.

An Capitulum Sede vacante revocare possit approbationes Regularium datas a priori Episcopo? n. 213.

Primum oritur ex ipso Tridentino sess. N. 23. de Ref. c. 15. vetante ne quis etiam Regularis absolvat, nisi vel Parochiale officium habeat, vel ab Episcopis sit approbatus. Dubitari modò potest, an Parochus vi sui officij possit ubique absolvere in totâ Diocesi Episcopali, vel tantum in suâ Parochia, ita ut nequeat extra suam Parochiam absolvere, nisi ab Episcopo quoad alias approbetur? Alias autem per Beneficium Parochiale venire dixi, omnia beneficia curam animarum habentia, ut Episcopatus, Archiepiscopatus, & aliqui Abbates, Archiepresbyteri, Archidiaconi.

Legi aliquos, & quidem satis classicos N. Doctores, qui docent Parochum, si vi Cruciatæ aut Jubilæi eligatur in Confessorem, Barbos. 197. posse non tantum in Episcopatu, quo est Parochus, sed in omni alio, ubi non est, validè absolvere. Fundatur; quia Tridentinum unice dicit quod approbatio sit necessaria ei, qui non habet Beneficium Parochiale: ergo ut Parochus ubique validè absolvat, nullâ eget approbatione. Ita P. Mendo d. 22. n. 28. P. M&B. apud Barbosam sess. 23. cap. 15. n. 19. & alij. At hæc opinio neutiquam sustineri potest. Tr. iij. post